

stissimæ sunt. Nec alia discriminis numi. XXI. adnotati ratio est, quām quōd aqua in clepsydra per amplius foramen subiectæ pelvis P [Fig. 25.] simul multa uno momento excidat adeoque à marginibus tubuli M simul multa eodem momento discedat, & consequenter multum aërem per eundem tubulum ascendere multamque ex vasculo aquam exprimere faciat; cùm ex adverso lampadis oleum, quod introitum tubi F [Fig. 26.] obsidet, à flamma & ellychnio B lentissimè & insensibiliter absumatur, ideoque illius margines insensibliter, intervallo temporis insensibili, ferè deserat, & consequenter aëris portionem itidem vix sensibilem, aut externi cum interno communicationem non nisi momentaneam, admittat; quam inde expressi olei portio quoque vix major insensibili consequi potest; intervallis temporum interim quæ binis hujusmodi expressionibus interjacent existentibus longè maximis, ob lentissima olei in lampade depascendi decrementa.



TENTAMEN VIII.

De

Tubis Stentoreo-phonicis sive Acusticis.

I.

Inter hujus seculi inventa curiosa pariter ac utilissima non ultimum certè locum quia meretur *Tuba stentorea sive Acustica*, hujus effecta quoque non enarrare solùm verbis, sed ipso sensu & experimento proprio percipienda exhibere nostris Auditoribus ferebat animus, cùm anno 1681. Collegii Curiosi tertium aperiundi occasio subnata esset.

II. Enarravimus igitur ante omnia exortum & progressus inventi hujus ex memorialibus schedis, quas ad imitationem Diarii Gallici (*du Jurnal des Scavans*) Parisiis edere anno 1672. sub inscriptione, *Memoires concernans les arts*

SCAVANS